

XVIII. Ad secundum exemplum, respondetur quod sententia, quæ ponit duliam et latrariam esse diversas specie virtutes, quæ sine dubio est S. Thomæ quæst. ciii citata ex 2-2, art. iii, ubi id expresse inquirat et determinat, non admittit quod cultus sanctorum pertineant ad latrariam seu religionem tamquam obiectum secundarium, re vera enim religio tantum respicit pro obiecto specifico, et formali cultum exhibendum summo principio, scilicet ipsi Deo, non vero respicit cultum exhibendum sanctis etiam secundario, quia mutatur ibi formalis ratio, exhibendi cultum quæ est excellentia, hæc enim cum diversa sit, diversum cultum et observantiam petit, eo quod ipsa ratio excellentiæ est, id quod in his virtutibus formale est non quod secundarium. Verum quidem est quod religio seu latraria imperare potest duliæ quatenus cultus sanctorum fieri potest in gloriam Dei, in eumque redundat, sed hoc non est elicitive esse a latraria seu religione etiam secundario, sed solum imperative, sicut etiam religio imperat jejunium et eleemosynam, quando hoc facit in cultum Dei, nec tamen jejunare est actus secundarius religionis sed imperatus, sic est cultus duliæ erga sanctos respectu latrariæ seu religionis. At vero charitas in amando proximum propter Deum, et lumen gloriæ in intelligendo creaturas in Deo, non petunt formas specie diversas, quia utrobique ratio motiva intelligendi vel amandi est unica, scilicet bonitas divina, ratione cujus amatur creatura quæ ex Deo est, et veritas divina, quæ est ratio et causa veritatis creatæ eamque in se continet, et ut effectum a se derivatum videt. Itaque excellentiæ si diversæ sint (licet una participetur ab alia effective et causative) hoc tamen ipso quod diversæ sunt, uniri non possunt in

una ratione cultus, quia cultus et observantia exprimit pro formali id in quo diversitas excellentiæ est, quia in hoc præcipue incumbit cultus ut discernat unicuique id in quo excellit seu præ alio est, Amor vero potius unitivus est, licet amet unum præ alio etiam appetitive, tamen ipsum appetitive diligere consistit in hoc quod unum sit motivum et ratio diligendi alterum non separandi a se aliud, et sic illud motivum est ratio boni et communicativa sui; excellentia vero formaliter non est communicativa sui, sed potius separat se ab alio ut excellens præ illo. Et si se communicat alteri, id facit effective et tamquam inferiori, non ut præbens formale motivum tendendi in illud, sicut bonum ut amatum dat motivum ulterius amandi et volendi aliud.

XIX. Ad tertium exemplum respondetur quod secundum sententiam Cajetani 2-2, quæst. clxxiv, art. i omnis prophetia est ejusdem speciei atomæ, ut sentit D. Thomas ibidem, quæst. clxxi, art. iii ad iii. Quod vero videatur ponere diversas specie prophetias q. clxxiv, loquitur secundum Cajetanum de speciebus secundum quid et ex parte materialium obiectorum sicut religio habet diversos actus specie accidentaliter et materialiter non essentialiter. Vel loquitur in quæstione clxxiv D. Thomas secundum alienam sententiam ut ibi Cajetanus dicit. Prior tamen solutio est inhærentior litteræ, ut ibi videri potest. Et tamen facilius potest visione prophetica admitti diversitas specifica quam in beata, eo quod illa fit quidem per lumen supernaturale, sed in speculo et ænigmate seu per effectus Dei, per quos temperari et modificari potest illud lumen. Visio autem beata ab omnibus istis temperaturis abstrahit, et pure contemplatur Deum in se, nec variari

potest. Licet autem divina eminentia sit multis modis cognoscibilis per effectus, tamen cum in se cognoscitur, unico tantum modo cognoscitur.

## ARTICULUS VIII.

*Quæ sit ratio incomprehensibilitatis divinæ?*

I. Supponit quæstio Deum in se esse incomprehensibilem, quod certa fide constans est, licet variant auctores in explicando quomodo sit de fide, et in quo sensu. Nam absolute Deum esse incomprehensibilem Scriptura apertissime dicit et Ecclesia definit, et patres communiter docent. Scriptura quidem, nam Hierem. xxxii dicitur: *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu: Ecclesiast. xliii: Ne laboreris, non enim comprehenderis: ad Rom. xi: Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Definit id Ecclesia imprimis in capite: *Firmiter de summa Trinitate, ubi dicitur: « Unus solus est verus, Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis, omnipotens, etc. »* Et in capite Damnamus sequenti: *« Nos sacro approbante Concilio credimus et confitemur, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. »* Patres etiam id communiter docent. Nam imprimis D. Chrysostomus contra Anomæos in homiliis de incomprehensibili Dei natura id latissime probat. Et S. Gregorius papa lib. xviii moral. cap. xxxix: *« Longe dispariter videt creator se, quam videt creatura creatorem: nam quantum ad immensitatem Dei, quidam novus modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur quo creatura sumus. »* Ubi S. Gregorius

hoc reducit ad manifestam implicationem, scilicet quod non potest Deus comprehendi a creatura, quia creatura est. Et D. Basilius homilia de fide in principio: *« Nemo, inquit, ita demens cæcitate est ut ad summam Dei comprehensionem pervenisse existimet. »* Nazianzenus oratione in sanctum pascha *« Deus est penitus incomprehensibilis. »* Videri potest Cyrillus Hierosolymitanus catechesi vi; Beda in cap. iii; primæ Joannis ad illa verba: *Videbimus eum sicuti est; Augustinus epist. cxii, capit. vii, in fine, ubi inquit: « Non quia Dei plenitudinem quisquam non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendere, quando quidem id videtur quod præsens utrumque sentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, nihil ejus lateat videntem, aut ejus fines circumspici possunt. »* Videri etiam potest Cyrillus, lib. undecimo thesauri; Ambrosius, libro de fide contra Arianos, capit. vi, et alii plures, qui contra Eunomium, et Anomæos scripserunt, qui inter alios errores etiam hanc insaniam prædicabant, scilicet quod comprehendebant Deum.

II. Inter tot incomprehensibilitatis divinæ præsidia, quæ sine dubio eam de fide sanciant, unus Vazquez sic eam decurtavit, ut affirmet non esse de fide, quod Deus sit incomprehensibilis etiam in ordine ad absolutam potentiam Dei, sed solum quod sit incomprehensibilis respectu cognitionis naturalis creatæ, sicut dicitur Deus invisibilis vel ineffabilis, et tamen constat quod Deus solum est invisibilis cognitioni naturali, non cognitioni supernaturali per gratiam. Ita docet tota disputatione lii, respondens locis Scripturæ, Conciliorum et patrum, quibus incomprehensibilitas Dei stabilitur de fide. Et sequitur ipsum p. Alarcon

tractatu de visione, disputatione iv, c. vi in fine, licet dicat esse temerarium satis asserere, quod de potentia absoluta Deus possit comprehendi propter communem consensum scholasticorum omnium, licet id non sit manifeste hæreticum. Et in summa Vazquez videtur velle, quod incomprehensibilitas Dei in præallegatis testimoniis et aliis citandis sumitur pro invisibilitate, quia scilicet Deus naturali cognitione teneri seu comprehendi non potest, non supernaturali, si ipse sic se revelare voluerit.

III. Cæterum communis tenenda est sententia, quod est de fide Deum esse incomprehensibilem, sumendo incomprehensibilitatem pro aliquo peculiari attributo, et perfectione quam non explicat ly invisibilis vel ineffabilis, atque ita respectu creaturæ significatur Deum aliquo peculiari modo non esse cognoscibilem, quo tamen a se cognosci potest, quidquid sit an possit in aliquo alio sensu huic non contrario, dici comprehensibilis a creatura, ut bene advertit p. Suarez lib. ii de attributis, c. v, n. iii. Nam constat communiter Scripturam et patres distinguere inter hoc quod est esse Deum invisibilem vel incomprehensibilem, et de illis loqui tamquam de distinctis attributis explicantibus diversas perfectiones. Unde recte dixit Tertullianus in apologetico, cap. xvii : « Invisibilis est Deus licet videatur, incomprehensibilis licet per gratiam repræsentetur. » Beda in illud i Joan. Videbimus cum sicuti est, inquit : « Promittimus vobis videri Deum, nam comprehendere, concedi non potest. » Vel ut citat Vazquez : « Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere. » Gregorius x moral. cap. x, alias vii : « Et si hunc in claritate sua quandoque conspiciamus, non tamen ejus essentiam plene contuemur. » Et

xviii moral. cap. xxxix : « Nec tamen ita videbimus sicut videt se ipse. » Auctor de cardinalibus Christi operibus apud Cyprianum in prologo loquens de Seraphim, qui stabant super thronum, qui utique Deum videbant : « Monstrantes, inquit, volatu altitudinem ejus sic in superioribus elevatam, ut quantumlibet ad cor alium homo ascendat, exaltetur Deus, et comprehensionis importunitatem evadat. » Denique, Chrysostomus homil. iii in Anomæos expresse distinguit inter hoc quod est Deum esse inaccessibleem et incomprehensibilem. « Quod enim inquit, inquisitum investigatumque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus. Quod autem ne vestigandi quidem operam patitur, et ad quod nemo proprius accedere potest, id inaccessible est. » Statimque docet Angelis Deum esse accessibilem. Distinguunt ergo patres rationem incomprehensibilitatis in Deo, et invisibilitatis. Et similiter in cap. Firmiter de summa Trinitate dicitur : Deus incomprehensibilis, omnipotens, et ineffabilis; ubi distinguitur incomprehensibilitas, et ineffabilitas, constat autem ineffabile sequi ad invisibile, et sic eadem ratione qua distinguitur ineffabilitas ab incomprehensibilitate, etiam et invisibilitas. Ipsa etiam Scriptura absolute Deum incomprehensibilem pronuntiat locis supra citatis, invisibilem autem sic docet quod tamen per gratiam suam videndus promittitur, nunquam tamen comprehendi posse docet. Distincto ergo modo sentit de visibilitate Dei, et incomprehensibilitate.

IV. Ex his autem sumitur argumentum pro hac sententia. Nam Scriptura et patres aliquid explicant nomine incomprehensibilitatis, quod non invisibilitatis in Deo, ita quod in illa incomprehensibilitate singu-

lare aliquid et Deo propriissimum attribuunt. Nomine autem invisibilitatis, sic intelligunt Deum invisibilem, quod tamen per gratiam videri potest, ergo incomprehensibilem intelligunt Deum, ita ut nec per gratiam comprehendatur, alias nulla singularis perfectio per incomprehensibilitatem diceretur, quæ non per invisibilitatem. Confirmatur, quia inter alias rationes, quibus patres et Ecclesiæ doctores ostendunt divinitatem Spiritus Sancti, est quia comprehendit Deum, juxta illud i Corinth. ii : *Spiritus scrutatur omnia etiam profunda Dei*, comprehendere autem omnia profunda Dei non est alicujus creaturæ. Qua ratione probat S. Thomas divinitatem Spiritus Sancti iv contra gent. cap. xvii, ratione vii, et videri etiam potest super locum Pauli citatum. Eadem ratione utitur Basilius libro v contra Eunomium ad probandum divinitatem Spiritus Sancti; Idarius Clarus in lib. contra Varimandum; Athanasius in disputatione habita in Concilio Nicaeno contra Arium ad probandum divinitatem Filii. Ergo intelligunt sancti esse aliquam comprehensivam cognitionem Dei, quæ nulli creaturæ, communicari potest, alioquin ex comprehensione Dei non possent inferre divinitatem Spiritus Sancti, vel Filii, si illa alicui creaturæ convenire potest. Nec dici potest, quod non probatur divinitas Spiritus Sancti ex eo quod comprehendat Deum quomodocumque, sed quia comprehendit naturali virtute, inde tamen non fit quod aliquis intellectus creatus non possit comprehendere per gratiam. Nam contra est, quia tunc restabat probandum patribus contra hæreticos, quod Spiritus Sanctus naturali virtute comprehendit Deum quod non faciunt, nec Scriptura id explicat, sed solum dicit quod scrutatur omnia etiam profunda Dei, an

vero ex gratia, vel naturali virtute id non explicat. Ergo ut firma sit probatio divinitatis Spiritus Sancti facta a patribus, supponi debet quod nec per gratiam possit dari talis comprehensio in creatura, ut ita inferatur, quod si comprehendit naturali virtute et non per gratiam comprehendit. Sicut incongruenter probaretur Spiritum Sanctum esse Deum ex eo quod Deum videt, si quidem etiam per gratiam videtur a creatura. Subintelligendo autem quod Spiritus Sanctus videt Deum propria virtute, oportet id probare ex alio principio, et non ex sola visione aut comprehensione Dei. Et ita hanc sententiam de incomprehensibilitate Dei, quod sit de fide aliquid peculiare ponere in Deo præter invisibilitatem quod nulli creaturæ sit communicabile etiam per gratiam, sed omnino proprium Dei tenent Soto in iv, dist. xlix, quæst. iii, art. i; Suarez iii part. tomo i, disput. xxvi, sect. ii et lib. iii de attributis, cap. v; Granados hic disp. xiii, sect. ii qui citat Molinam, Valentiam, Zumel; idem docet Gonzalez hic disput. xxx, sect. i, alique multi communiter.

EXPLICATUR RATIO INCOMPREHENSIBILITATIS DEI.

V. Comprehensio aliquando pro simplici rei apprehensione seu tentione sumitur, aliquando pro cognitione exhauriente totum quod in aliqua re invenitur. In prima acceptione sumitur sæpe in Scriptura, ut cum dicitur ad Philipp. iii : *Sequitur autem si quomodo comprehendam*: ad Ephes. iii : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, etc.* et i ad Corinth. ix : *Sic currite ut comprehendatis*. In secunda acceptione dicitur Job. xi : *Forsitan vestigia Dei com-*

*prehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Et Ecclesiast. XLIII: *Ne laboretis, non enim comprehendetis.* Et in hoc secundo sensu, in quo de comprehensione loquuntur doctores involvitur aliquis modus totalitatis, quatenus ad comprehensivam cognitionem spectat totum quod in objecto est, exhaustiri (apurar el objecto). Quod sumitur ex Augustino cujus definitionem communiter theologi acceptant qui in epist. cxii, cap. vii, circa finem definit comprehensionem dicens: « Quod illud comprehenditur quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt. » Est autem difficile assignare quæ totalitas sufficiat ad exhaustiendam cognoscibilitatem objecti, et comprehendendum illud. Potest enim multiplex totalitas considerari. Primo, ex parte cognoscentis quod scilicet toto conatu et vi intelligendi cognoscat, vel toto conatu quo ipse cognoscens potest apprehendere, vel toto et summo conatu, quo res ipsa reprehensibilis est a quocumque cognoscente. Secundo, ex parte objecti quod cognoscitur et manifestatur, in quo possumus considerare plures modos manifestandi se totum, ut ex illis eliciamus, quid sit manifestare se totum et totaliter, quo ad rationem comprehensionis monstrabimus pertinere. Nam in primis ut totum objectum manifestetur debet supponi quod attingatur in se, et secundum propriam naturam, nam quod attingitur mediante alio non proprie representante rem, ut est in se saltem ex parte rei terminative cognitæ, manifestum est non comprehendi, quia nec cum ad talem rem acceditur, quanto magis quod comprehendantur. Si autem ad ipsam rem accedit cognitio, ita quod rem in se attingit, potest multiplici modo considerari totum quod in re est. Primo quidem si videatur

tota ejus quantitas (proprium est hoc rei corporeæ) sed non interior substantia sicut Augustinus supra citatus dicit nullum comprehendi a vidente, quia ejus fines videntur, scilicet quantum ad quantitatem, et secundum quod potest visu corporeo videri. Secundo, potest cognosci totum quod est in re, si cognoscatur non solum quoad terminos quantitativos, sed etiam quoad terminos essentielles, ita ut totum quod pertinet ad quidditatem et formaliter est in ipsa re, videatur. Tertio, potest cognosci totum quod est in re, non solum quoad quantitatem vel essentialitatem, sed etiam quoad respectus ad ea quæ quoquo modo ad se pertinent. Et in hoc est magna latitudo, quia vel potest considerari respectus ad accidentia quæ a re aliqua oriuntur et dimanant; ita ut omnes proprietates ejus cognoscantur, respectus ad effectus et operationes quæ a tali re fieri possunt; vel denique respectus ad ea quorum est capax, et quæ recipere potest, aut penes potentiam naturalem respectu agentis naturalis, aut penes obedientialem respectu Dei. Ex his omnibus potest integrari totalitas aut diversæ totalitates alicujus rei sive penes ea quæ absolute in se sunt, sive penes ea ad quæ respective se habet, ita ut omnes ejus respectus exhaustiantur.

VI. Ex his colligi potest et punctus difficultatis, et resolutio ejus, refutatioque aliquorum qui minus bene explicaverunt hanc quæstionem. Punctus difficultatis est, quia Deus videtur quidditative et intuitive a beatis, ita ut nullum prædicatum sit in Deo quod a beatis non videatur, ergo totum quo in Deo est, videtur, ita ut nihil lateat videntem de eo quod divinum est, et in Deo formaliter, ergo comprehenditur Deus, quia nihil de eo latet videntem, quæ est definitio comprehensionis. Et sic difficile

secernitur visio quidditativa a comprehensiva Dei, quia tam indivisibilis et simplex entitas aut tota videtur aut nulla. Dicere autem quod videtur totus Deus, sed non totaliter vix explicari potest quid sit, si enim videtur ex parte objecti omne prædicatum et omnis modus, et quidquid formaliter convenit Deo, quid restat, ut dicatur videri totaliter? Si autem aliquid horum non videtur, non videtur Deus quidditative. Si vero ex parte videntis totaliter videre est idem quod summo, et totali modo videre, inciditur in opinionem statim impugnamdam.

## RESOLUTIO.

VII. Dicendum ergo est comprehensionem alicujus objecti non summi ex totalitate cognoscendi ex parte ipsius cognoscentis, sed ex totalitate ipsius rei cognitæ, ita ut ex vi cognitionis qua res aliqua attingitur, videantur omnia non solum quæ constituunt talem naturam (id enim ad quidditativam notitiam spectat) sed etiam quæ ex tali natura oriri possunt, aut illi convenire etiam si extrinseca sint. Dico ex tali natura oriri possunt, quia ea quæ non ex natura ipsa rei proveniunt, sed ratione capacitatis obedientialis possunt ab altiori principio convenire, non pertinent simpliciter ad comprehensionem rei, sed sine illis salvari poterit, licet si illa adsint multo melior sit comprehensio. Non tamen simpliciter requiritur, quia alias nullus intellectus etiam supremi Angeli posset naturali cognitione minimam creaturam comprehendere, quia non potest naturale cognitione videre omnia ad quæ habet obedientialem capacitatem respectu Dei supernaturaliter agentis, hoc enim naturali cognitione assequi non potest.

VIII. Ratio primæ partis, scilicet

quod comprehensio non sumatur ex totalitate cognitionis ex parte cognoscentis ex eo constat, quia vel exigitur ad rationem comprehensionis, quod ex parte cognoscentis summo modo cognoscat rem quantum ipse cognoscens potest, vel summo modo quo perfectissimum cognoscens cognoscit, quod est summo modo absolute. Primum manifestum est non sufficere, nam homo qui est infimus in genere intelligentium potest toto suo conatu et vi intendere in cognitionem alicujus rei, verbi gratia Angeli vel cæli, nec tamen dicitur illa comprehendere. Et Angelus inferior toto conatu, quo potest intendit aliquando in supremum Angelum nec sequitur quod illum comprehendat. Non ergo potest consistere comprehensio alicujus objecti in conatu, et vi intelligendi summo modo, quo potest ex parte intelligentis. Secundum vero manifestum est excedere, quia si exigitur ad comprehensionem summa cognitio possibilis ex parte cognoscentium, sequitur quod nec unius formicæ comprehensio dari potest nisi in Deo, quia solum in eo est summa cognitio ex parte cognoscentis, qua major esse non potest, et quod nullus intellectus creatus comprehendat rem aliquam, quantumvis inferiorem sibi; quod manifeste falsum videtur, quia illa cognoscibilitas aliquarum creaturarum est valde limitata, et finita, sicut et ipsa earum entitas, et est cognoscibilitas mere naturalis, non moralis, nec supernaturalis, non ergo deneganda est alicui finito intellectui.

IX. Secunda pars conclusionis deducitur, quia nomine comprehensionis cognitio communiter intelligitur illa cognitio, quæ excedit solam intuitivam, vel quidditativam cognitionem alicujus objecti, ita quod exhaustit quidquid